DECRETUM

ROMANA SEU KAUNEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

SERVI DEI

GEORGII MATULAITIS seu MATULEWICZ

REFORMATORIS CONGREGATIONIS
CLERICORUM REGULARIUM MARIANORUM
FUNDATORIS CONGREGATIONIS SORORUM
AB IMMACULATA CONCEPTIONE B. M. V.
ARCHIEPISCOPI TITULARIS ADULITANI

SUPER DUBIO

An signanda sit Commissio introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur.

Christianae religionis summopere interest prae oculis omnium ponere atque extollere viros quorum vita in singulari et admirabili Dei servitio fuit impensa, ut ad eorum virtutum admirationem et imitationem fidelium animi alliciantur.

Hos inter recensendus procul dubio est Dei Famulus Georgius Matulaitis seu Matulewicz (in lingua lituana Matulevicius), qui, die 13 aprilis (iuxta calendarium Gregorianum 25 aprilis) anno 1871 in pago v. d. Luginé, intra dioeceseos fines tunc Seinensis in Lituania, e parentibus Andrea Matulaitis et Ursula Matulyte, humilis quidem conditionis socialis, honestate tamen et pietate conspicuis, novissimus inter octo liberos, natus est.

Tertium agens aetatis annum patre, post vero decimum et matre amissis, vitam duxit sub potestate fratris natu maioris, agrorum cultui addicti. A primaeva iam aetate fervida enituit pietate, et erga Deiparam Virginem filiali ferebatur amore. Ut scholas oppidi v. d. Marijampolé adiret, quinque chilometrorum viam pedester pertingebat: interea agre-

stes labores peragere non desinebat. Vigesimo aetatis anno, avunculo Ioanne Matulis opitulante, seminarium dioecesanum Kielcensem adivit, quo postea a Russiae gubernio clauso, ad illud Varsaviae in Polonia pertransiit, ubi acri ingenio et studiorum profectu prae aliis claruit. Anno 1895 ad Academiam Theologicam Petropolitanam missus, sacrae theologiae magister summa cum laude renunciatus fuit. Anno 1898, die 31 decembris, magno cum animi solatio et gaudio, sacerdotio auctus fuit.

Kielcum reversus, sacri ministerii partes suscepit, at, valetudinis causa, Germaniam primum, Friburgum in Helvetia postea repetiit. Studiis numquam intermissis, sacrae theologiae lauream est consecutus, sacro ministerio continuo addictus. In Kielcensem dioecesim iterum reversus, coadiutor parochialis exstitit et iuris canonici in seminario magister. Brevi autem post, ingravescente morbo, in nosocomium pauperum Varsaviense receptus, cappellani munere apud Sorores functus est. Valetudine vero recuperata, ad opifices christiane consociandos assiduam operam dedit et universitariae iuventutis ordinationi strenue adlaboravit. Cum ingenii et doctrinae laude polleret, anno 1907 sociologiae et theologiae dogmaticae tradendae munus ei commissum fuit in Academia Petropolitana, ubi tantam moderatorum aestimationem et tironum affectum sibi comparavit ut alter rector eiusdem Academiae electus sit.

Anno 1909 Congregationem Clericorum Regularium Marianorum, quae ob temporum calamitates, ad unum tantum reducta erat sodalem, eumque generalem Moderatorem, ingressus, eam instaurare et reformare sategit. Venia igitur ab Ordinario et ab Apostolica Sede rite suscepta, vota nuncupavit, novasque Constitutiones conscripsit, quas sanctus Pius decimus anno 1910 probavit. Anno 1911 Moderatore generali vita functo, Georgius a duobus professis ad id munus electus est, quod tanta prudentia, diligentia et alacritate obivit, ut, cum ad caelos evolavit, 319 sodalibus Congregatio constaret.

Academicis officiis dimissis, Friburgum se contulit anno 1911, ubi novitiatus domum aperuit et plures sacerdotes ad religiosam vitam vocatos excepit. Anno 1913 in Americam Septemtrionalem profectus ad sacerdotes lituanos invisendos, Chicagiae alteram novitiatus domum aperuit.

Anno 1914 bello saeviente, in Poloniam redire coactus est, ubi plurimis incubuit caritatis operibus; novum aperuit novitiatum ac domum ad orphanos excipiendos educandosque. Bello autem ad finem vertente, anno 1918 Lituaniam repetiit, et in civitate Marijampolé domum reli-

giosam ac novitiatum instauravit, plurimos excipiens tirones. Eodem anno Congregationem Sororum Pauperum excitavit, quae post Servi Dei obitum nomen mutavit in Sorores ab Immaculata Conceptione B. M. V.

Die 23 octobris eiusdem anni Benedictus Papa XV Dei Famulum, frustra quidem obnitentem, ad episcopalem sedem Vilnensem evexit, quod novum susceptum onus summa prudentia et caritate complevit, de animarum salute unice sollicitus. In satis ampla dioecesi catholicam vitam fovit, concordiam valde vexatam et agitatam composuit et restauravit, odium inter varias nationis gentes compescere summa alacritate studuit.

Anno 1925 Vilnensi episcopali sede demissa, archiepiscopus titularis Adulitanus renunciatus fuit, et Congregationi suae Romae stabiliendae operam navavit. Verumtamen in Urbe fundationis vix adumbratis lineamentis, Summus Pontifex, Pius XI, eodem anno, die 7 decembris, Dei Famulum Apostolicum in Lituania Visitatorem deputavit, ad sedandas controversias quasdam ibi enatas et ad dignam dioecesium ordinationem providendam, quod feliciter diligenterque perficere valuit.

Kaunae tandem, post chirurgicum interventum, die 27 ianuarii anno 1927 in festo S. Ioannis Chrysostomi, quem peculiari prosecutus est religione, Ecclesiae sacramentis piissime susceptis, quinquagesimo sexto aetatis anno meritis et virtutibus praeclarus, actuosam sanctamque vitam sancta morte coronavit. Exequiis solemniter persolutis, corpus in ecclesia cathedrali Kaunensi humatum, anno 1934 ad ecclesiam paroecialem Marijampolensem translatum fuit ibique adhuc asservatur.

Vitae sanctitatis fama in dies percrebescente, annis 26 ab eius obitu vix elapsis, iuridicae adornatae sunt inquisitiones in tribunali Vicariatus Urbis, Rogatoriales vero in Curiis ecclesiasticis Bruklyniensi, Luganensi, Mechliniensi, Buffalensi et Scrantonensi, ad S. Rituum Congregationem postea transmissae.

Servatis interea omnibus de iure servandis, die 26 iunii 1959 decretum prodiit super scriptis, ut ad ulteriora inoffenso pede procederetur. Interim ad Apostolicam Sedem perplurimae pervenerunt postulatoriae litterae quorundam Patrum Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum, Moderatorum Ordinum et Congregationum religiosarum nec non sacerdotum et christifidelium Lituaniae, Servi Dei Causae beatificationis introductionem deposcentium.

Tandem instante Revmo P. Casimiro Reklaitis, Congregationis Clericorum Regularium Marianorum Postulatore generali, Emus ac Revmus

Dominus Eugenius Cardinalis Tisserant, Episcopus titulo Ecclesiarum suburbicariarum Ostien. Portuen. et S. Rufinae, Causae Ponens seu Relator, in Ordinario Sacrae Rituum Congregationis particulari Coetu, die 15 novembris 1966 coadunato, dubium discutiendum proposuit: *An signanda sit Commissio introductionis Causae Servi Dei in casu et ad effectum de quo agitur.* Et Emi ac Revmi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, votis quoque inspectis Praelatorum Officialium, re diligenti studio perpensa, rescribendum censuerunt: *Signandam esse Commissionem si Sanctissimo placuerit.*

Facta demum de praefatis Sanctissimo Domino nostro Paulo Papae VI per infrascriptum S. Rituum Congregationis Cardinalem Praefectum fideli relatione, Sanctitas sua propria manu *Commissionem introductionis Causae Servi Dei Georgii Matulaitis seu Matulewicz, Reformatoris Congregationis Clericorum Regularium Marianorum, fundatoris Congregationis Sororum ab Immaculata Conceptione B. M. V., Archiepiscopi titularis Adulitani, signare benigne dignata est.*

Datum Romae, die 9 februarii 1967.

ARCADIUS M. Card. LARRAONA, *S. R. C. Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Ferdinandus Antonelli, Archiep. tit. Idicren., *Secretarius*